



Universitätsbibliothek Paderborn

**Hydra Prophanarum Novitatum, Sive Descriptio
Historico-Theologica causarum principalium omnium
irrepentium Hæreseon ac Schismatum: unàque Generalis
earundem prophanarum Novitatum confutatio**

Alexander <a Sancta Theresia>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Operis Ratio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35361



OPERIS RATIO

Ad Lectorem.

IN ipso operis limine, Lector benevole,
Tituli ejusdem forte exposces expositionem : accipe eam paucis. *Hydra* serpens
fuisse fingitur multorum capitum , cui si u-
num recidebatur, mox plura suppulabant:
totamque, in qua erat , regionem devastabat :
adeo quoque pestiferum emittebat odorem ,
ut nec Hercules eum perferre potuerit ; qui
tandem fœdum ferumque monstrum soli-
tis suis conditum antris congesta lignorum
strue igne consumpsit. An non hujusmo-
di horrendum monstrum est *prophana novi-
tas*, seu hæresis , ac schisma ? Cui totidem
velut sunt capita , quot vitia pravique af-
fectus, quibus carnales homines impulsi , ac
exagitati hæreses ac schismata procudunt , ac
in lucem protrudunt: quorum si aliquis gla-
diō spirituali fuerit excisus , plures statim
enascuntur : quot enim centeni ab exordio
nascentis Ecclesiæ non fuere per Ecclesiam
Catholicam extinti ? Sed quot etiam in eo-
rum locum postmodum non suppulularunt?
Quorum novissimos hæc nostra fert , suf-

A 2 fertque

Ad Lectorem.

fertque ætas, qui tot tantasque infecerunt
ac devastarunt regiones; quod futurum non
fuisset, si, cum adhuc suis continebantur in
clauiculariis conventiculis, seu cavernis, velut
infernalis *Hydra*, fuissent suppressi, ac igne,
quo ter dignissimi sunt, combusti. Cum
igitur propositum mihi sit, in præsenti Tra-
ctatu exhibere ac describere prophanas no-
vitates, *Hydrâ* qualibet deteriores, atque
capitalia illa vitia, velut totidem *Hydræ* ca-
pita, quibus homines perversi adacti hæ-
reses ac schismata adinveniunt ac dissemin-
ant; nec non generalem earundem novi-
tatum admiscere confutationem, istorum
que vitiorum redargutionem; hinc placuit
opusculum istud appellare *Hydræ prophana-
narum novitatum* à suo principali obje^to,
& sumpta à Poëtica illa *Hydra* analogia.
Habes Tituli, & ferè operis tationem, quam
paucis complebo.

Consideranti itaque mihi confusissimum
horridissimumque hæreseon chaos, & mil-
lies succisis, velut *Hydræ* capitibus, in-
dies succedere novas, & rursum illis alias si-
ne fine, sine intermissione succrescere, lu-
bet cum mellifluo Doctore (a) præ-lamen-
tari, ac præ-lachrymari potius quam præfari.
,, Innovatus est dolor, non exterminatus.
,, Lachrymæ inundaverunt, quia invaluerunt
,, mala, & expertis pruinam, irruit super
,, eos nix. Ante faciem frigoris hujus quis
sustineat?

a Epist.
189.

Ad Lectorem.

Jusſinebit? Hoc frigore refrigescit chari-
tas, ut abundet iniqutias. Leonem evasi-
mus, fed incidimus in Draconem, qui non
minus forſan noceat sedens in insidiis, quām
ille rugiens de excuso. Quanquam non
jam in insidiis, cuius virulenta folia, uti-
nam adhuc latenter in ſcribiis, & non in
triviis legerentur. Volant libri: & qui o-
derant lucem quoniam mali sunt, impege-
runt in lucem, putantes lucem tenebras.
Urbibus & caſtelliſ ingeruntur pro luce,
tenebrae, pro melle vel potius in melle,
venenum paſſim omnibus propinatur.
Transierunt de Gente in Gentem, & de
regno ad populum alterum. Novum cu-
ditur populiſ & Gentibus Evangelium, no-
va proponitur fides, fundamentoſ aliud po-
nitur præterid quod poſitum eſt. De vir-
tutibus & vitiis non moraliter, de Sacra-
mentis Ecclesiæ non fideliter, de arcano
Sanctæ Trinitatis non ſimpliciter nec lo-
briè diſputatur: ſed cuncta nobis in per-
verſum, cuncta præter ſolitum & præter-
quām accepimus miniftrantur ... Siqui-
dem ſibilavit apis quæ erat in Francia, api
de Italia: & venerant in unum adverſus
Dominum, & adverſus Christum ejus.
Intenderunt arcum, paraverunt ſagittas
ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro
rectos corde. In viētu autem & habitu
habentes formam pietatis, ſed virtutem,

A 3

ejuſ

Ad Lectorem.

„eius abnegantes , eò decipiunt plurimos ,
„quò transfigurant se in Angelos lucis , cùm
„sint Satanæ. Hæc S. Doctor de vaferri-
mis illis sui ævi Novatoribus : cuius lamenta
utinam ! nostra non cogeretur resumere æ-
tas, quæ seductoribus illis similes , aut etiam
peiores, fert suffertque novos Evangelistas ;
mox datura progeniem vitiosorem ; Apo-
stolo enim docente (a) effrænes Novatores
multum proficiunt ad impietatem ; & sermo
eorum ut cancer serpit : nec aliud facit omi-
nari novandi ille pruritus , ardensque stu-
dium quod scolorum quorundam ac per-
versè Zelosorum occupavit animos , qui
nihil, quantumvis sacrum , vetustum ac fir-
mum relinquunt inconcussum , inviolatum
ac intemeratum : hujusmodi enim turbulen-
tus præsumptuosusque reformandi , diffor-
mandi dixerim , æstus , quid, nisi horrida
schismata ac hæreses excludat ? Novitas nam-
que , laudato S. Bernardo (b) docente , *ma-*
ter est temeritatis , temeritas autem hæresis ac
schismatis , cùm totius Ecclesiæ spretâ au-
thoritate , Sanctorumque Patrum veneran-
dâ postpositâ antiquitate , propria inanum
hominum phantasmatâ pro Orthodoxa do-
ctrina , Christique Evangelio obtruduntur,
ac venditantur. Quorum impiis conatibus
sistendis , fraudibus ac dolis detegendis , sum-
misque animarum discriminibus , per eos in-
ducendis , avertendis , *prophanis , inquam ,*
novita-

a 2. Tim.

2.

b Epist.

174.

Ad Lectorem.

novitatibus impediendis ac extirpandis præ-sens noster qualiscumque desudat labor ac in-dustria. Quia verò cognitis, sublatisque cau-sis ac radicibus, necessariò pendentes ex eis intereunt fructus & effectus; sic ex medico-rum doctrina, ac ipsa rerum magistra expe-rientia, facilis morbi est curatio, si morbi cau-sa investigata fuerit ac deprehensa. Nec com-modius extirpatur virgultum, quām si om-nes ejus fibræ ac radices diligenter fuerint in-quisiτæ, stirpitus evulsa ac eradicata: Hāc, in-quam , de causa studiosè investigavi, graphi-cè descripsi, ac radicitus evulsi radices, seu caulas ac origines prophanarum novitatum, sive hæresum ac schismatum ; ut cognitis sublatisque fœdis causis, tollantur fugian-turque effectus, non enim potest arbor mala bo-nos fructus facere, inquit veritas. (a) Et hæc a Matth.
fugiendarum ac fugandarum prophanarum 12. novitatum ratio est sufficiens, quia pessimis oriuntur ex causis : ideoque S. docet Hiero-nymus : *Hæreses ad suas reduxisse origines, esse refutasse.*

Ut verò feliciter meum scopum ac finem assequi valeam, fundabo me super divinas Scripturas, Apostolicas Traditiones, infal-libilem S. Matris Ecclesiæ petram, ac sum-morum Pontificum & Conciliorum, Sanctorumq; Patrum autoritatem. Innexus etiam Illustrium Doctorum testimonii, qui felici-ter adversus hæreses decertarunt, ut anti-



Ad Lectorem.

quis Vincentius Lirinensis, Conradus Brunnus, Floremundus Remundus, Illustrissimus Noguera, Prateolus, Eximus D. Nicolaus du Bois, Primarius Sacrarum Litterarum Professor, ac Primarius, strenuus, ac indefessus avitæ Religionis Propugnator. Michael Medina, Alphonsus à Castro, ambo Minoritæ, & alii, quorum nomina datâ pando occasione. Quibus cum prima laude adnumerandi Carmelitæ, Illustrissimus D. Guido de Perpiniano, & Venerabilis Thomas Waldensis; prior enim præclarum scripsit Volumen inscriptum, *summade heresibus, & eorum confutationibus.* Alter Hæresiarcham Wiclef, grassantium hodie Novatorum prodromum, cùm grege suo tribus validissimis Tomis obruit ac protrivit; quò factum, ut eorum quilibet fons quidam effectus sit, ex quo postea universi, qui contra novas hæresiarchas scripserunt, hauserunt, quod de Thoma Waldensi disertis asserit verbis Andreas Roga Minorita, & Laudatus Alphonsus à Castro, qui etiam passim in Guidonis nostri arat vitula. Tam validis fultus adminiculis, tā strenuis adjutus Ecclesiæ pugilibus, tam fidis ac fortibus assistentibus Fratribus, intrepidus descendo in arenam adversus *Hydram prophatarum novitatum*, & tradet eam Dominus in manus nostras. *In manus nostras dico, inquit Waldensis, (a) non meas: & Dei est bellum, non meum, ejus supple cuius est doctrinas*

quā

a Tom. I.
in preche.

Ad Lectorem.

quâ dimico : qui docet manus meas ad prâlium,
Et digitos ad bellum. (a) Novit Christus, qui me a Ps. 142.
redemit, quod non movit me superbus nisi san-
cta, nec cordis mei nequitia in prâlio delectata,
quasi confusa temere de victoria: sed spero in Do-
mino Iesu meo , quod ille suscitabit spiritum
meum, qui suscitavit spiritum Danielis pueri
junioris, ne Susannam filiam Helchiæ pulcher-
rimam Christi sponsam, Ecclesiam Sacrosan-
ctam, injuste morti traditam, videam sub ini-
quo binario judicum (Calvini ac Lutheri) in-
terire sub infami numero Sacerdotum. Hæc
cum Waldensi.

Adversus obrectatores hujus mei qualis.
cumque operis , ejusdem Doctoris (b) me b Tom. I.
munio armis. Ego, qui pauper Religiosus sum,
Et insimus Carmelita , adficare propono opus
prægrande mihi , Et nisi Christo fundamento
sustinente, Et aspirante, viribus inæquale. Et
quid mihi, si detrahant mihi inimici mei , quod
jam scribere velim , Et Doctoris tingere calatum
viliscornicula. Respondebo saltē illud Rabani
super Matth. in Prol. Fraternæ charitati solum-
modo cessi , detrahentium, atque insultantium
non curans vaniloquium: qui magis præsum-
ptioni quam pietati nostrum forsitan deputant
laborem: Et non mirum, cum magis parati sint
aliena lacerare, quam propria opuscula condere.
Quorum quia nemo potest calumniam Et invi-
dos morsus devitare, nisi qui omnino nihil scribit,
magis eligo vanam surdâ aure pertransire que-

Ad Lectorem.

rimoniam, quām otiosè torpens, Christi negligere gratiam: cui soli placere optantes, vanos hominum rumusculos nihil ducimus. Hac ille. Et benē dixit Rabanus, quorum inuidos mortuus devitare non poterit, nisi qui omnino nihil scribit: ipsorum enim quidam qui nihil scribunt, quia omnino vacante, nonunt insidiari scribentibus. Sicut unus fortè mihi dixit: prolixas facis & scriptitas Homilias: & cur contrario non illud illi dixerim Martialis:

*Scribere me quereris velox epigrammata longa:
Ipse nihil scribis, tu breviora facis.*

Lector vale, Calumniator
emendare.

PRO.

